Hugenij.

Anna, fatebor enim, non est quae mortua spero
De patrocinio, perfida viva, meo.
Quare cui placeat violati crimina amoris,
Et vitiata prior posteriore fides.
Kinschotys bis amata, tua quae gloria sortis,
Illa te patior nunc quoq sorte frui:
Defendant quod amaverunt. Rivalibus umbris
Si, quo floruerant, non datur ore loqui,
Quod petis à Sano defecto, juvenilibus aptum
Kinschotij proprio Sparta Nepotis erit.
Opto senex tamen, ut nihil inclementius addam,
Palladio quod eras, sit tibi Terra, levis.

Eid. decimo.

Kinschotij.

Speraveram, Vir Nobiliss^e te Thaumantiae precibus aliquid saltem fuisse daturum. Sed spe meâ penitus me excidisse comperio. Erat tamen materia decano nostri Collegij dignissima, et autor, et argumenta Palladij merebantur, ut ibi tu nervos intenderes tuos. Animus itaq est, ad alium me conferre. Clarissimum ergo Heinsium adibo, Thaumantiae nostrae causam, quantâ potero operâ commendaturus, et extorquebo vel ab aegroto patrocinium Lacteaus indefessus. Si flectere nec illum queo, in auxilium vocabo virum quendam eruditum, qui degit Amstelodami: cuius nomen non occurrit.

sed perplacent in scribendo dotes. Praeter tuum et Mororum stilum, nullius ego quidem novi, cui hac ardua (ut tibi videtur, nec ego multum repugno) provincia dignè demandetur. Et ne me propaginis vel pertinaciae accuses, in Beaumontij causa Avi mei integritas, quae apud omnes saeculi sui bonos, nec solùm apud Illustr.mos Guilielmum et Mauritium Principes (absit dicto invidia) illibata fuit, versatur, et tantum non patitur. Nec ulteriùs tempora tua morabor. Sed coronidis loco hoc non cuivis Oedipo solvendum apponam, facillimè et minimo negotio ~~m~~ et a nobis et consilijs. nec verbum ampliùs addam.

Anna duos viduos, uxori sociata, reliquit:
Viva volens Natum, morte coacta Patrem.

undecimo.

Hugenij.

Heinsiadas non excludo, nec si quid Amicae
Amstela contulerit vel Patrui vel Avi
At, si consilio non dedignere senili,
Jam perspecta satis saepe Poeta rogi
Tecum habita, et pudeat, cui sit tam larga supellex
Poscere cujusvis te vel opes vel opera.

Impare congressu commissa Sen.cta Juventae
Hic lassata pedem fixit, et obticuit.

CONSTANTER. Eod. undecimo.